

DIGESTORVM SEV PAN

DECTARVM PARS SEXTA

LIBER TRIGESIMVS SEPTIMVS

DE BONORVM POS
SESSIONIBVS

VLPIANVS Libro trigessimono ad Edictum



BONORVM POSSESSIO ADMISSA, COMMO
da et incommoda hereditaria, itemque dominium rerum,
quae in his bonis sunt, tribuit. nam haec omnia bonis sunt
coniuncta.

II. IDEM Libro quattodecimo ad Edictum

IN OMNIBVS enim uice heredum bonorum posses
siones habentur.

III. IDEM Libro trigessimono ad Edictum

BONA AVTEM hic, ut plerumque solemus dicere,
ita accipienda sunt, universitatis cuiusque successionem,
qua succeditur in ius demortui, suscipiturque eius rei com-

modum et incommodum, nam siue soluendo sunt bona, siue non sunt: siue daninum
habent, siue lucrum: siue in corporibus sunt, siue in actionibus: in hoc loco proprie bo
na appellabuntur. Hereditatis autem bonorumque possessio, ut Labeo rescribit,

non uti rerum possessio accipienda est. est enim iuris magis quam corporis possessio.
denique etsi nihil corporale est in hereditate, attamen recte eius bonorum posses
sionem adgnitam Labeo ait. Bonorum igitur possessionem ita recte definiemus, ius

persequendi retinendique patrimonii, siue rei, quae cuiusque cum moritur fuit.
Inuito autem nemini bonorum possessio adquiritur. A municipibus, et societati

bus, et decuriis, et corporibus bonorum possessio adgnosci potest. proinde siue actor
eorum nomine admittat, siue quis alius: recte competet bonorum possessio. sed etsi
nemo petat uel adgnouerit bonorum possessionem nomine municipii, habebit muni
cipium bonorum possessionem praetoris edicto. Dari autem bonorum posses

sio potest tam patris familias, quam filii familias: si modò ius testandi habuit de pecu
lio castrensi, uel quasi castrensi. sed et eius, qui apud hostes decessit, bonorum possessio
nem admitti posse, quamuis in seruiture decessat, nulla dubitatio est. Adquirere

quis bonorum possessionem potest uel per semetipsum, uel per alium, quòd si me non
mandante bonorum possessio mihi perita sit, tunc competet, cum ratum habuero id
quod actum est. denique si ante decessero, quam ratum habeam: nulla dubitatio est,
quin non competet mihi bonorum possessio. quia neque ego ratum habui, neque he
res meus ratum habere potest, cum ad eum non transeat ius bonorum possessionis.

Si causa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur, quam pro tribunali.
quia neque decretum de plano interponi, neque causa cognita bonorum possessio ali
bi quam pro tribunali dari potest. In bonorum possessione sciendum est ius

esse adrescendi. proinde si plures sint, quibus bonorum possessio competit, quorum
unus admittit bonorum possessionem, ceteri non admiserunt.

IIII. GAIVS Libro octauo ad legem Iuliam et Papiam

VELVTI
TT